

ILLVSTRISSIMO PRIN

CIPI AC DOMINO, DOMINO PHILIPPO CO

miti Palatino Rheni, & utriusq; Bauariæ Duci &c. Domino suo
gratiosissimo, Georgius Tanstetter Collimitius Regius phy
sicus & Mathematicus S. D.



Cum iam inde antiquitus moris fuerit, qui ad hanc nostram usque æta
tem defluxit, ut literati uiri quoties uel suas ipsorum lucubrati
ones uel aliena scripta à se è tenebris eruta, ac luci & quasi uitæ re
stituta, in publicum emittere destinarunt, delegerint ex omni mul
titudine uirum aliquem singularem, uel bene de se meritum uel uirtute præ
ditum, uel ipsum eruditum ac literis probe tinctum, ac eius artis quæ in libro
eo tractatur studiosum, cuius nomini dedicati siue proprii siue alieni labo
res auspiciato prodirent. Quorum ego in præsentiarum institutum in pri
mis decens atq; honestum rite æmulatus Illustrissime Princeps, tuæ Celsitu
dini alienum, sed præclarum tamen & perutilem laborem mea opera pri
mum, ac deinde tua potissimum ab interitu uindicatum, ac iam primum in
lucem exeuntem inscribere dedicare constitui. Cum præsertim causæ pro
pter quas singulas alij libros suos inscripserunt, in te omnes congruant. Pri
mum enim, id quidem mereri Celsitudinem tuam, atq; his longe maiora,
necesse habeo confiteri. Quandoquidem cum antea ex Petro Apiano pro
bata fide homine ac Mathematices eximie perito cognoueram Celsitudinẽ
tuam, & huiusmodi studijs maiorem in modum delectari, & eis operam in
terdum dare solere. Tum anno superiore, cum hic inclitus ac potentissimus
Rex Ferdinandus per hyemẽ ageret, cuius tu in Aulico famulatio Princeps
principem obtines locum, aliquoties studio Mathematico illectus me do
mi meæ inuisere non es grauatus, ac non solum prima illa rudimenta eius
artis scienter mecum exprompsisti, sed etiam de illis, quæ & studium accura
tius & iudicium requirunt recondita magis & abstrusa eleganter differuisti.
Deinde tot sunt uirtutes tuæ ac tantæ quibus insigniter enitescis, ut si p sin
gulis libri sint tibi dedicandi, nulla unq; quis copiosa & affluenter instru
cta Bibliotheca sit satis futura, quas si sigillatim nominare uelim modum pro
fecto Epistolæ egrederer. Vnam hanc è multis singularem ac notabilem cõ
memorabo, quod anno ab hinc quarto, cū grauissima & periculosa obsidi
one Vienna Austriæ cingeretur, circumfuso longe lateq; Turcarum exercitu
prope infinito, tu fama excitus modo aduentus hostium, & formidulosæ
impressionis sponte tua quod uirium de repente contrahere poteras, tecum
Viennam raptim adduxisti, anteq; teterrimi hostes urbem omni ex parte
circumuenissent. Qua quidem in urbe toto illo obsidionis tempore omnia
propugnationis munia sic obiisti, ut noctes diesq; ad signa nihil laboris ac
discriminis refugiens primis semper immixtus & ipse primus constiteris,
aliosq; defendenda ad mœnia subinde luculenta & mascula oratione fueris
exhortatus, sic ut fortiter dicere, fortius agere, fortissime pugnare, prout
habeare